

Richajensius ex Appulia cum decem rostratis navibus, 1470  
 quem Ferdinandus Rex miserat, ut ex Veneti imperato-  
 ris sententia bellum in Turcos gereret. Movérat Chalcidis  
 expugnatio omnes Italiæ principes, vel imprimis Regem  
 ipsum: qui quo omnem Appuliæ Calabriæque oram barba-  
 rorum injuriæ opportuniorem videbat, eo magis ac magis  
 illorum successus horrere. Othomanus veritus, ne si ob  
 Chalcidem Venetis ademptam Christiani Duces simul con-  
 spirassent, ingenti aliquo bello opprimeretur, experiri sta-  
 tuit, an cum Venetis componere pacem posset: vel si id  
 minus processisset, trahendo saltem tempus Chalcidicæ cla-  
 dis atrocitatem lenire. Verum ne metu id fieri videretur,  
 placuit novercæ suæ, Christianæ fœminæ, filiæque Geor-  
 gii, olim Tribalorum Principis, opera in eo uti. Quæ, cognito privigni consilio, ex domesticis unum Venetias  
 misit, qui Venetos suo nomine moneret, ut ad Turcum,  
 si placeret, legatos mitterent: fore, ut si pacem vellent,  
 eam quibus forte non sperarent conditionibus ab illo im-  
 petrarent. Missi Nicolaus Coccus & Franciscus Capellius,  
 qui navi ad eam quæ in Macedonia vico erat primum sunt  
 delati, inde vero terrestri itinere ad Othomanum venere.  
 Actum hic de pace. Demum quum conditiones quæ pro-  
 ponebantur, minime placerent, essentque jam legati per  
 literas domum revocati, Capellius vehementi febre confli-  
 ctatus, Byzantii decessit: Coccus piscatoria navicula in  
 Lemnum delatus, ex ipsa insula triremi, quam ibi forte  
 offenderat, in Cretam transiit. Atque ita dum legati pro-  
 ficiuntur, dum de pace Byzantii agunt, dum denique  
 literæ citro ultroque perferuntur, æstas illa sine ullo nego-  
 cio acta est. Regia igitur classis, appetente jam hyeme,  
 Neapolim est reducta: legati quoque Patrum literis revo-  
 cati domum abierunt. Nec ita multo post sub brumæ ini-  
 tiū Maurus Princeps vita decessit, quum annos novem  
 & sex menses Reipublicæ præfuisse. Ad Jobi fanum, quod  
 ipse privato sumptu cum proximo cœnobio instruxerat, si-  
 tus est. Nec ea parte tantum civitas illius ducatu orna-  
 ta, sed & pars interior ducarii vestibuli, jam a Maripe-

*Pax cum  
Othomano  
aliquandiu  
jactata ad  
exitum non  
perducitur.*